DISPUTATIO JURIDICA
DE
COMPUTATIONE GRADUUM COGNATIONIS,

Quâ

Naturalis graduum computationis ratio, utriusque Juris, ac divini quoque circa eandem conſenſus, vulgaris denique ſententiæ abſurditas novè & evidenter demonſtratur,

ET AUSPICANTE NUMINE

PRÆSIDE

DN. HENRICO COCCEJO,

JCto, ET IN PERVETUSTA ELECTORALI PALAT. JURIS NAT. ET GENT. PROF. PUBL.

RESPONDENTE

ADOLPH. HENRICO LINDE, Weſtph.

Publicæ diſquiſitione proponitur

Ad diem 14. Decembris 1672.

IN AUDITORIO JCTORUM.

Francofurti ad Viadrum, Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI. 1714.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

Vulgo ſtatuitur duplex cognationis linea: recta eſt collateralis. *Sententia vulgaris.* In recta pater & filius ſunt in primo gradu: avus ſupra, nepos infra in ſecundo: & ita porro inde ab avo aſcendendo, hinc a nepote deſcendendo, ſemper novus utrinque additur gradus, quoties nova eſt generatio, idque utroque jure. In Linea collaterali, ſi quæritur, quot gradibus diſtent verbi gratia D & C; jure civili à D aſcendunt usque ad communem ſtipitem, ubi A, & inde iterum deſcendunt usque ad C, ubi 3. ſunt gradus, & hos omnes intermedios gradus, qui proinde hic 7. ſunt, numerant. Jure vero Canonico in linea inæquali verb. grat. D, & C, numerant quoto gradu remodior, ſcil. D, diſtet à ſtipite communi, & eodem gradu eum dicunt diſtare a C; & omnibus aliis ex altera linea: hic ergo omnes erant eodem gradu, quo D eſt, ſcil. 4to. In linea vero æquali, ut D & d. quoto gradu alteruter diſtat à communi ſtipite, eodem gradu quo-

que inter ſe diſtant, uti, cum D *diſtet quarto gradu a ſtipite, eodem etiam diſtabit a* d. *& ita hic duo erunt gradus pro uno. Quanta autem ſit abſurditas computationis Canonicæ ita explicatæ omnes vulgo fatentur & conquerentur, ut non opus ſit illud oſtendere. In reliquis quæ ſint vitia patebit ex demonſtratione ſententiæ veræ.*

Vera ſententia Deductio. 2. Familiæ inſtitutio a natura eſt, indeque Juris Naturalis: voluntas enim ſummi rerum auctoris & arbitri (quæ ſola jus Naturæ conſtituit) non tantum ea eſt, quæ expreſſa ſanctione innoteſcit; ſed & illa, quæ ex ipſa rerum creatione, & dum rebus certa indita natura eſt, certusque affectus & uſus, manifeſtatur; voluiſſe enim oſtenditur, quod ipſe condidit. Quæ ſingula favente Deo demonſtrabimus in Jurisprudentiam Gentium.

Familiæ origo. 3. Natura ergo condendo marem eique in ſocietatem & propter ipſum (qui proinde eſt pars principalior) feminam fungendo, eo ipſo familiam condidit, quæ nihil aliud eſt, quam ſocietas domeſtica, quæ ex conjunctione maris & feminæ ad propagandam ſpeciem conſtituta naſcitur; reliquæ enim partes non ad eſſentiam familiæ; (quia etiam ſine iis familia eſſe poteſt) ſed liberi ad perfectionem ejus ulteriorem; ſervi ad ſplendorem pertinent.

Origo cognationis 4. Familia ita conſtituta nondum ulla patet cogna-

gnationis ratio: ſed hæc demum per nativitatem ſeu generationem conſtituitur; eſt enim a naſcendo dicta; quando ſcilicet nova perſona naſcendo ad familiam adjungitur. Ita & JCtus ait: *Cognati ab eo dici putantur, quod quaſi una communiter vel nati, vel ab eodem orti progenitive ſint l. 4. §. 1. Gradib.* quæ eadem quoque Græcis eſt nominis ratio, quibus cognati συγγενεῖς dicuntur ἀπὸ τοῦ συγγενέσθαι ſimul naſci *teſte Paulo in l. 10. §. 1. eod.*

& graduum a generatione

5. Cum ergo prima generatio ſit liberorum A. a. 𝔄. α. hi primi erunt cognati, & ab his erit principium cognationis, utpote quæ per generationem ſeu nativitatem oritur; & cum omnes æqualiter ſint liberi, familiæque generanti æqualiter juncti, erunt omnes eodem, id eſt, primo cognationis gradu; hi ergo inter ſe nullo diſtant gradu, quia omnes ſunt in primo. Si liberis iſti iterum generent, jam alius oritur cognationis gradus ſcilicet nepotum B. b. 𝔅. β. ac proinde erunt hi nepotes ſecundi cognati: & ſic porro Pronepotum C. c. ℭ. γ. tertius; abnepotum D. d. 𝔇. δ. quartus, atnepotum E. e. 𝔈. ε. quintus, & trinepotum F. f. 𝔉. ζ. ſextus ordine ſuccedit gradus.

Liberi omnes in eodem ſunt gradu item nepotes &c.

6. Cum hac naturali graduum computatione coincidit plane Computatio Canonica, ut patit ex *c. 1. c. 2. verſ. Fratres itaque c. 4. XXXV. qu. 5.* Ut autem patent, nec civilem ab ea recedere, porro tenendum, quod ſequitur.

Idque omni jure.

 7. Gra-

7. Gradus dicti ſunt a ſimilitudine ſcalarum, ut dicitur *l. 10. §. 10. Gradib.* Ubi ergo graduum eſt ratio, ibi & quod ſcalarum rationem habeat, eſſe oportet: gradus enim ſunt partes ſcalæ, ex quibus tota ſcala compoſita eſt: quisque ergo gradus refertur ad ſuam ſcalam, uti pars ad ſuum totum; non autem ad aliam. Hoc videmus in Schemate, ubi, gratibus ſecundum lineam rectam ordine diſpoſitis, oriuntur ſcalæ 1. 2. 3. 4. ab invicem diſtinctæ, vulgo *lineæ* dictæ, quarum ſingulæ ſuis gradibus conſtant. Unde hæc deducimus conſectaria (I) Gradus A. B. C. D. E. F. qui ſunt in ſcala ſeu linea prima, ſunt numero diſtincti a gradibus a. b. c. d. e. f. & reliquis qui ſunt in linei 2. 3. 4. cum enim ipſæ ſcalæ ſeu Lineæ ſint diſtinctæ, non poſſunt non gradus, qui ſcalis ſingulis continentut eſſe diſtincti. (II) Unde & ſi verum ſit, quod omnes liberi A. a. 𝔞. *α*. ſint in eodem gradu quaſi ſpecifico, ſcil. in gradu primo, adeoque gradus hi ſpecie non differant, differunt tamen numero, quia gradus primus A. non eſt gradus primus a. & hic non eſt gradus primus 𝔞. & hic non eſt *α*. adeoque gradus hi numero ſunt diſtincti. (III) Hinc illud deducimus; quod ſingularum linearum gradus, utpote diſtincti a reliquis, ſeorſim poſſint numerari, non connumeratis gradibus reliquis, ſcl. toties, quoties de unius tantum cognati verbi gratia ad gradibus

quæ-

Digitized by Google

quæritur: (quod fit jure Canonum in nuptiis) cum enim gradus ſint iſtius ſcalæ gradus, cui inſunt, non poſſunt gradus cognati d. eſſe extra ejus ſcalam ſeu lineam 2. quia reliqui gradus non ſunt gradus ſcalæ 2. ſed aliarum ſcalarum: Pone duas ſcalas fabrefactas 1. 2. quarum ſingulæ conſtent 7. gradibus; quæritur, in ſcala 2. quotuplex ſit gradus d? Ridiculum eſt accerſere gradum ex altera ſcala A. quia ille gradus non eſſet gradus ſcalæ a, de cujus gradibus quæritur. (IV) Si vero de duorum cognatorum in duabus diverſis ſcalis ſeu lineis exiſtentium gradibus quæritur, (uti fit jure Civ. in ſucceſſionibus) utriusque ſcalæ gradus ſunt numerandi, idque hac ratione: Cum ab eodem communi ſtipite, in quo cognati omnes fuere conjuncti & quaſi uniti, diverſæ procedant lineæ ſeu ſcalæ cognationum v. g. 1. 2. in quibus variis ſunt gradus; quo magis quisque recedit ab illo ſtipite, eo magis ſolvitur & dirimitur quaſi propinquitas cum iſto ſtipite, & eo remotior a ſtipite, eove remotione gradu conſtituitur: dum autem ſinguli ita remotiores fiunt a ſtipite, fiunt etiam inter ſe: in ſtipite enim fuere ambo conjuncti, quo magis ergo ab eo recedunt utrinque, eo recedunt utrinque magis a principio conjunctionis ſuæ, adeoque fiunt minus inter ſe conjuncti. Ut ergo ſciri poſſit, quousque quisque recedat ab illo principio, cum ſint in duabus diverſis

unius gradibus quæritur.

Si de duorum, ex duabus ſcalis gradus adduntur.

ſcalis 1. 2. utriusque ſcalæ gradus ſunt numerandi. Ita quæritur de ſucceſſione cognati D. an illi potius ſuccedat cognatus d, an in altera ſcala cognatus C; primo numerandi gradus cognati D. in ſcala prima, ubi quarto eſt gradu; cum ergo d. in ſcala 2. ſit in 4to gradu, C vero in ſcala 3. in 3tio, hic uno gradu minus receſſit a principio conjunctionis, quam d. ac proinde gradu eum antecedit. Vel ſi libet incipere poteſt numeratio a D. & ejus gradibus continua ſerie posſunt adjungi gradus cognati d. & eodem modo gradus cognati C. quaſi una eſſet utriusque linea, quodſi fiat numeratio incipit ab eo, de cujus ſucceſſione quæritur; ſecundum regulam, quam conſtituit *Paulus in L. 10. §. 9. gradib.* alioqui hic effectu nihil intereſt, unde incipias: ſive a D. aſcendas ad ſtipitem, & hic iterum deſcendas ad d, vel a d. contraria ratione pergas; ſive a ſtipite orſus inde utrinque gradus numeres ad D. & d; ſive denique ab his incipiens primo a D. verſus ſtipitem, denique a d. ad eundem ſtipitem pergas; quacunque ratione numeres idem recurret graduum numerus: uti ſi 12. globulos in duos ordines diſponas, ut quisque ordo 6. globulos contineat, ſive incipias numerare a priore, ſive a poſteriore ordine, ſive ſurſum, ſive deorſum; ſive dextrorſum, ſive ſiniſtrorſum, idem redibit ſemper numerus. Et ergo regula *d. l. 10. §. 9.* loquitur de principio

cipio ſeu termino a quo ſucceſſionis, quia ſcl. ei ſucceditur; reliqui enim omnes ſi ſupereſſent, defuncto ordine ſuccederent. Naturalis autem numerandi ratio incipit a ſtipite, tanquam principio cognationis. (V) Denique hinc quoque fit evidens, ſcalam ſeu lineam collateralem proprie nullam eſſe, & per illam nihil aliud intelligi, quam duas lineas rectas, quarum gradus invicem adduntur, ſeu conjunguntur, ac ſi eſſent in una linea. Ita, ſi quæras, quot gradibus invicem diſtent duo cognati D. & e: ſecundum dicta perinde erit, ſive naturali ratione orſus a ſtipite pergas ad D. ubi ſunt 4. gradus, & deinde ab eodem ſtipite ad e, ubi ſunt 5. qui conjuncti conſtituunt inter utrumque 9. gradus, ſive continua ſerie per quas a D. ad ſtipitem, & hinc ad e: erunt enim itidem 9. gradus: adeoque ut modo demonſtratum, re ipſa non differunt. Unde, cum Canonica quoque computatio hanc rationem, inprimis naturalem illam, ineat, ut mox oſtendetur, eam res ipſa a civili non differre evidentisſimum eſt. *Proprie linea Collateralis non eſt, ſed fit ex duarum rectarum Conjunctione.*

8. Quod igitur Canones eandem computationem, quam modo tradidimus, ineant, ſic oſtendimus. I. Per *c. ſin. conſang. & aff.* ubi hæc verba: *Vir qui a ſtipite* (vide Schema) *quarto gradu* (id eſt D.) *& mulier, quæ ex alio latere* (v. g. in linea 2.) *diſtat quinto gradu* (id eſt e.) *licite poſſunt copulari.* Hoc idem *Computationem Canonum eandem eſſe cum Civili.*

 exem-

exemplum eſt quod §. *præc. Concl. 5.* dedimus; nam quatuor gradus viri, & quinque mulieris, juncti faciunt 9. gradus, quæ eadem eſt computatio cum Jure Civili, niſi quod Canones naturali ratione numerare incipiant a ſtipite, quod re ipſa eodem recidere ſupra demonſtratum eſt. Idem demonſtratur *ex c. 3. Conſ. & aff.* ubi vir ponitur in 6. gradu v. g. in F. mulier ex alia linea in ſecundo v. g. in b, adeoque Canones æque ac Jus Civile inter F. & b, numerant 8. gradus, 6. ex prima, 2. ex ſecunda ſcala. II. Per *c. 2. XXXV. qu. 5. verſ. utramque & verſ. utraque* ubi expreſſe dicitur, *quod utriusque computationis, ſi ſubtiliter attente NB. perſiciatur, eadem ſit ſententia & idem terminus*, & hoc ita eſſe poſita ſententia noſtra plane patebit. Nam juxta illam principium cognationis eſt in ſtipite, & ab hoc deſcendunt ordine gradus cognationis. Ita ut primus gradus contineat liberos, ſecundus nepotes, & ſic deinceps, usque ad gradum ſeptimum excluſive, ut in ſchemate; hi gradus diſtincti ſunt lineis vel ſcalis, ut dictum & in Schemate videre eſt, ex quarum conjunctione omnes transverſæ cognationes oriuntur; ultra hoſce gradus autem regulariter jus Civile non procedit, ut dicitur *l. 4. pr. Grad.* addita ratione, *quia natura ulterius vitam cognatorum conſiſtere non patitur*: hic idem autem terminus cum eadem ratione ſæpius inculca-

Ratio computandi naturalis.

culcatur *in d. c. 2.* ac proinde computationes non differunt. III. Quia fundamentum, quo omnis graduum computatio nititur, idem eſt Jure Civili, naturali & Canonico, ut infra oſtendetur *ex l. 10. §. 10. Gradib.* IV. Apertiſſimus eſt textus in *c. 6. XXXV. qu. 5.* quo habetur graduum computatio plane eadem cum illa, quæ Jure civili toto titulo habetur *I. de Grad. & l. 1. ff. eod.* adeo ut ex Jure Civili deſumta videatur: quid alii machinentur haud laboro; textus ipſe loquitur.

9. Quod attinet Canonicam computationem graduum in nuptiis prohibendis, dictum jam eſt, ibi unius cognati gradus tantum numerari; quod ut clare intelligatur, ratio prohibitionis prænoſcenda eſt. Putant ſcl. Canones (quod jam non examinamus) dum prohibitæ ſunt jure Naturæ nuptiæ cum parentibus & ſororibus, habitam eſſe rationem caritatis; & ut numeroſius ſe extenderet dilectio, vetitum eſſe, ne duo neceſſitudinum vincula, ſcil. cognationum & nuptiarum in easdem perſonas concurrent, ſed tunc demum, ubi deficeret arctior cognationis necesſitas, ſuccederet nuptiarum affinitas; de quo eſt textus *in c. un. XXXV. qu. 1.* Canones autem latius, & ſcl. ad omnem cognationis memoriam, hanc rationem extenderunt, ut quamdiu ſupereſſet cognationis recordatio, tamdiu ceſſarent nuptiæ, &

Digitized by Google

tunc demum, cum deficeret cognationis memoria, eam quaſi fugientem,&recedendo per gradus a fonte ſeu ſtipite tandem ultimo gradu evaneſcentem, renovaret conjugale vinculum; uti ratiocinantur canones *c. un. XXXV. qu. 4. c. 2. eod. ead. q. 5. verſ. illa quoque c. 18. ead. qu. 2.* Et viſum initio fuit, tamdiu ſupereſſe cognationis memoriam, quamdiu ſupereſſent cognationis nomina, quæ illius memoriam adhuc videntur conſervare, ſcl. ad 7. usque gradum. *c. 1 c. 7. c. 16. c. 17. c. 19. c. 20. c. 21. XXXV. qu. 2. c. un. ead. qu. 4. c. 1. c. 2. qu. 5. c. 3. Conſang.* poſtea autem viſum fuit memoriam cognationis tantum ſervari usque ad quintum gradum excluſive, adeoque quinto gradu tum licuit fugientem cognationem affinitate nuptiali reſtituere *arg. d. c. un. XXXV. qu. 4.* Et ergo, ſi quis ſeptimo gradu remotus eſt a ſtipite, uti verb. grat. gradus G. in ſcala 1. deficit memoria cognationis cum ſtipite, deficit etiam cum iis, qui per ſtipitem in ceteris ſcalis 2. 3. 4. ſunt conjuncti, quocunque ſint gradu; horum enim cognatio non poteſt ſciri, niſi prius ſciatur cognatio ſtipitis per quem ſunt conjuncti, & qui eſt principium cognationis. Si gradui G. cum omnibus illis, qui ſunt in ſcalis 2. 3. 4. ſine reſpectu graduum deficit memoria cognationis, ac proinde licitæ ſunt nuptiæ *arg. d. c. 18. d. c. un. d. c. 2. verſ. illa quoque* evidens eſt, quod eorum omnium

mnium gradus non numerentur, nec quicquam in- *cantur*
terſit, an ea, quæ jungenda eſt cum G, ſit in 2. vel 3. *gradu eſ-ſe, quo re-*
vel 4. vel 5. vel 6. gradu: ita ſi cum G, jungenda ſit ſ. *motior.*
ex ſcala 2. licitæ ſint nuptiæ, non quia ſ. 6to aut ulteriore diſtat gradu, (nam licitæ eſſent nuptiæ, etiamſi non ſexto, ſed quinto, aut quovis citeriore eſſet gradu in ſcala 2.) ſed quia τῷ G. ſeptimo a ſtipite gradu evanuit jam cognationis memoria cum ſtipite, adeoque & cum omnibus illis, qui v. g. in ſcala 2. vel etiam 3. & 4. per iſtam ſtipitem ſunt conjuncti, quocunque ſint gradu, ac proinde iſtorum graduum nulla habetur ratio, adeoque perinde eſt, ac ſi nulli eſſent eorum gradus; cum igitur horum omnium gradus non ſint, adeoque nec numerentur, ſequitur, *Demon-*
quod omnes hi gradibus non differant a G. (non e- *ſtratio*
nim poteſt eſſe differentia graduum, ubi nulli gra- *ſententiæ*
dus numerantur) ſi non differunt gradu a G, non e- *Canonicæ*
runt in alio gradu diverſo a G, adeoque erunt in eodem gradu, ſaltem *negative*, ſeu quia non ſunt in alio gradu; licet non ſint *poſitive* in eodem gradu. Demonſtratio hæc eſt: *Qui nullo differunt gradu a G. ſunt in eodem gradu cum G. ſcl. negative*, quatenus in eodem ſunt gradu, qui non ſunt in diverſo. *Atqui omnes, qui ſunt in alia ſcala, nullo gradu differunt a G.* & modo oſtenſum: *Ergo omnes illi ſunt in eodem gradu cum G*, quia ſcil. non ſunt in alio.

Digitized by Google

10. Hinc igitur patet ſententia & veritas regulæ Canonicæ: *Quoto gradu remotior differt a ſtipite; & a quolibet* (ſc. differt) *deſcendentium per aliam lineam ex eodem c. f. conſang.* Ratio: Sufficit enim, quod remotior ſaltem excedat memoriam ſtipitis, hoc ipſo enim reliquorum omnium ex eodem ſtipite, ſed alia ſcala ortorum, quocunque ſint gradu, ſublata eſt memoria, ut dictum, ac proinde hactenus omnes eodem cum remotiore gradu & ordine habentur. Hæc omnia probe firmantur ex eo, quot ait Pontifex *in c. 2, XXXV. qu. 5. Quia vero nuptiæ ſine duabus non valent fieri perſonis, hinc Canones duas in uno gradu poſuere perſonas.* Senſus: Etſi unius perſonæ tantum numerentur gradus, cum tamen nuptiæ non poſſint fieri per unam perſonam, ſed fiant neceſſario per duas, hinc ſi quæratur, in quo illæ ſint gradu, non utriusque graduum ratio aut numeratio habetur, ſed unius tantum, ſcil. ejus, cujus gradus numerantur v. g. remotioris, non alterius, cujus nulli gradus numerantur; ac proinde cum hic nullum gradum novum addat, eodem gradu habetur cum altero, adeoque duæ perſonæ in uno gradu ponuntur. Quod vel maxime Juri Canonico congruit, quo conjuges in eundem gradum ſolent coaleſcere *c. 3. XXXV. qu. 1. c. 14. ead. q. 4.* & in aliis quoque articulis vigore Juris Divini pro eadem perſona ſeu carne haberi *c.*

15. c. 3.

15. c. 3. c. 7. c. 13. c. fin. XXXV. *q. 2. &c.* Quin, & ſi rei veritatem intuemur, proprie illi demum gradibus differunt, qui in eadem, non qui in diverſis ſunt ſcalis: quod facile certa hac ratione oſtenditur. Ordo partium continetur in toto, nec totum ſuum excedit: impoſſibile enim eſt, ut pars, qua talis, ſit extra ſuum totum. Atqui gradus ſunt partes ſcalæ, ex quibus ſcala, tanquam totum, componitur. E. eorum ordo non excedit ſcalam. Ita ſi quæritur de ordine partium hominis v. g. Seji ordiendo de capite numerantur partes usque ad pedes: inepte autem quæreretur, quo ordine reſpectu hujus Seji eſſet caput Titii: illud enim nullum habet ordinem reſpectu Seji, ſed ratione ſui Totius ſcil. Titii. Ita evidens eſt, gradum a non habere ordinem ad ſcalam 1. quia gradus a non eſt pars ſcalæ 1. (adeoque reſpectu hujus ſcalæ plane non eſt gradus, cum gradus ſit ſuæ ſcalæ gradus) ſed ſcalæ 2. adeoque inter hujus ſcalæ gradus numerandus. II. Hactenus explicuimus Schema noſtrum naturale cognationis, & in eo utrumque Jus convenire oſtendimus. Reſtat jam, & demonſtremus, ſolam hanc computationem Schematis noſtri ſecundum lineas rectas ſeu ſcalas eſſe legitimam, & modum, quo DD. Juris Civilis numerant gradus in linea collaterali, tranſeundo v. g. a fratre ab fratrem, ab A. ad a. & inter illos

Rationes quibus demonſtratur ſolam computationem hactenus explicatam eſſe veram.

los graduum ordinem diſtinguentes, eſſe penitus abſurdum. Rationes ſunt hæ. I. Ipſa naturæ ſeries initio explicata, id evincit: inſtituit enim natura familiam primam, tanquam ſtipitem, ut illa ſe in alias familias multiplicaret, & hæ multiplicatæ iterum alias propagarent: & ſic porro; & cum hac ratione omnes illæ familiæ ſint agnatæ familiæ primæ], hinc quædam earum agnatio ſeu cognatio cum familia prima orta eſt. In hac autem multiplicatione duplex diſcernitur ratio: vel enim fit in longum quando receditur gradatim a ſtipite per intermedias generationes, & hinc fiunt plures gradus cognationis, quorum ſeries linea dicitur, ſeu ſcala; vel in latum, quando ab eodem generante plures gignuntur, unde plures lineæ ſeu ſcalæ, non plures gradus oriuntur. Ergo liberi v. g. omnes ſeu fratres ſunt in eodem gradu cognationis; & linea, ſeu ſcala, non gradu differunt, & ita de reliquis. II. Filius ideo proxime agnaſcitur familiæ, quia immediate ei agnaſcitur; & eo minus reliqui ſunt cognati, quo magis ab hac immedietate recedunt; cum ergo omnes filii immediate agnaſcantur familiæ, omnes ſunt æque proximi, nec inter eas graduum eſt differentia: ſi enim graduum differentia, alius alio erit proximior, & ſic non erunt immediate propinqui. III. Gradus non ſunt in multipli-

tiplicata, ſed in propagata cognatione; Per gradus enim ſemper ad ulteriora tranſimus; quod non fit in repetita liberorum procreatione; ſic enim ſemper in immediata generatione ſubſiſtitur: Ita etſi duodecim liberi (uti de VVelphorum origine fingitur, ut alia famæ incrementa ſileam) eodem partu edantur, niſi tamen hi iterum alios generent, non niſi una fit ſtirpis ſeu familiæ propagatio; nec ita propagatur genus, etſi multiplicetur. IV. Gradus definiuntur *a Paulo l. 10. §. 10. Gradib.* quibus *tranſitur* ab uno ad alium; tranſire autem ab uno ad alium, eſt uno relicto gradu, ad alium ire; id non fit in liberorum multiplicatione, qua non diſceditur ab eodem generante. V. Ut ocularitet hoc demonſtretur, finge ſcalam 1. quæ 7. gradibus confecta ſit: ponat aliquis pedem in primo gradu A fixum & immotum, alterum autem circa ſe, quo volet, transferat: ſive illum transferat ad ſcalam 2. manet altero pede fixus in eodem gradu A. adeoque non tranſit ad alium gradum; & ne quidem ad aliam ſcalam tranſit, quia ſtat fixus in priore ſcala; ſive eum transferat ad gradum B. in eadem ſcala; ne quidem tranſit ad eum gradum, ſed ſubſiſtit & manet in priore gradu, & ita nunquam ad ſeptimum gradum perveniet, niſi altero etiam pede, & ita totus tranſeat ad B; a B (non vero ab A)

C ad

d C, a C ad D. & ſic deinceps usque ad G. Et ergo
i ſcala cognitionis 1. a ſtipite generante fieri debet
anſitus ad gradum A. ab hoc gradu A. ad gradum
; ab hoc ad C. &c. Si autem a generante quis
procederet ad A, & deinde ab eodem generante ad
. vel a. vel α. vel a generante ad A, deinde ab eodem
generante ad B. vel C. vel D. non tranſiret ad alium
gradum, ſed ſemper in eodem generationis gradu
ubſiſteret. Evidens ergo eſt oculariter, veram graduum
computationem non eſſe, niſi ab A. ad B. a
B. ad C. & ita porro, idque ita in ſingulis ſcalis procedere.
VI. Qui a ſcala ad ſcalam tranſit, non tranſit
ad gradum proximum, ut eadem ratione ocularis
eſt evidentia: ſi quis enim ſtet in ſcalæ primæ gradu
A, & tranſeat ad ſcalæ 2. gradum a, non tranſit ad
gradum proximum; imo ne quidem tranſit a gradu
ad gradum, ſed a ſcala ad ſcalam, & utrobique ſubſiſtit
in primo gradu: nam & A eſt primus gradus ſcalæ
1. & a eſt primus gradus ſcalæ 2; inter ſe autem illi
duo gradus nullum habent ordinem: nec enim A. eſt
magis primus vel ſecundus quam a: cum uterque ſit
primus in diverſa ſcala, & primus gradus ſcalæ dicitur
reſpectu ſecundi gradus, qui ſequitur in eadem
ſcala: qua ratione Schematis noſtri ratio & Veritas
plane demonſtrantur. VII. Aliud argumentum habetur
ſupra §. 11. VIII. Demonſtratio clariſſima quoque

que hæc eſt: Gradus non ſunt inter duas ſcalas. Ergo tranſitus a ſcala ad ſcalam non conſtituit gradum: aut enim gradus ille eſſet pars alterius ſcalæ, & ita non erit inter duas ſcalas: aut eſſet neutrius ſcalæ pars, & ita non erit gradus, quia gradus continetur ſcala, & eſt pars ſcalæ: aut denique eſſet pars utriusque, quod impoſſibile; quia gradus non poteſt dividi in partes, ut nihilominus maneat gradus; aut enim toto tranſitur gradu, aut plane non tranſitur: nec dici poteſt fines utriusque ſcalæ conjungi, ita enim non eſſent duæ ſcalæ, ſed una. IX. Si inter liberos numerantur gradus, ſequitur, ubi 12. ſunt liberi eſſe quoque 12. gradus; ratio connexionis eſt, quia ex hypotheſi D. d. tot ſunt gradus, quod ſunt generationes, atqui hoc caſu ſunt 12. generationes; ſinguli enim liberorum conſtituunt generationem. Ergo hoc caſu ſunt 12. gradus; ac proinde, ſi poſt eos naſcatur nepos, erit ille in 13tio gradu ab avo. Facile occurrit, quid reſponſuri ſint; ſcil. a filio aſcendendum ad patrem, & inde deſcendendum ad alterum filium, qua ratione duæ ſunt generationes. Sed replico: eadem ergo ratione pergendum ad reliquos filios, & ab altero hoc filio iterum aſcendendum ad patrem, & deſcendendum ad tertium; ubi etiam ſunt duæ generationes; ab hac iterum usque ad quartum, & ſic porro; adeoque ita duplicabuntur gradus, &

major adhuc erit abſurditas, ſi ſemper primo aſcenditur ad parentem. Saltem novæ liberorum generationes novos conſtituent gradus; quia, ex eorum ſententia, nova generatio novum gradum conſtituit. Et ergo, ubi 12. ſunt liberi generati, erunt 12. gradus. Deinde bene notandum, quod in computatione vulgari maxime ſit vitioſum, quod ipſe ſtipes, dum ad eum aſcenditur, vel ab ipſo deſcenditur, pro ſingulari gradu computetur; cum enim ſtipes in nulla ſcala contineatur, ſed ſit omnium ſcalarum commune principium, non poteſt ille gradum conſtituere. Gradus enim eſt in ſcala; ſtipes non eſt in ſcala, ſed extra omnes ſcalas, cum ſcalæ incipiant a gradu A. a. 𝔄. *a*. Ergo ſtipes non conſtituit gradum. Ita quicunque ſcalam conſcenſurus eſt, donec ſubſiſtit in fundo ſeu loco, cui ſcala innititur, nondum conſiſtit in ulla ſcalæ parte, aut in ullo gradu: ille enim fundus non eſt pars, ſed initium ſcalæ. Idem eſt, ſi deſcenſurus ſubſiſtat in ſummitate, cui affixa eſt ſcala, nam nec tunc eſt in ulla parte aut gradu ſcalæ; ſed tunc demum, ſi ſuperne deſcendit ad A. vel inferne aſcendit ad f, unum utrinque confecit gradum, quia unus eſt tranſitus. *arg. d. l. 10. §. 10.* X. Ex *d. l. 10. §. 10.* ubi ait JCtus, ita nos ingredi gradus, *ut a proximo in proximum, id eſt, in eum, qui quaſi ex eo* (ſcil. ex proximo a quo fit tranſitus) *naſcitur, tranſeamus*. Fit ergo

Stipes non facit gradum.

ergo in gradibus tranſitus in eum, qui naſcitur, ab eo, a quo naſcitur: liberi autem ab invicem non naſcuntur, ſed omnes naſcuntur, XI. *Per L. 4. de gradib.* ubi ait JCtus, communiter in quæſtione gradu-um non excedi ſeptimum gradum, quod fere ultra eum gradum cognatorum vita non conſiſtat. Et ergo gradus cognationis regulariter rectis lineis terminantur; nam in collateralibus cognatis id omnino falſum eſſet, quia etiam ultra ſeptimum gradum, imo in infinitum ſimul poſſunt vivere. Et hinc Canones ſtatuunt, utriusque computationis eundem eſſe terminum; quod non poteſt eſſe verum, niſi juxta ſchema noſtrum, juxta quod & Canones 7timo gradu computationem finiunt *c. 2. verſ. utramque & verſ. utraque XXXV. qu. 5. c. 2. cad. qu. 2.* XII. Accedit auctoritas ſacræ paginæ, quæ eadem ratione genealogias numerat, ut videre eſt *Geneſ. c. 5. c. 10. & 11. & 1. Chron. 1. & multis ſeqq. Luc. 3. verſ. 23. inprimis Matth. 1.* ubi expreſſe inter Abrahamum & Davidem dicuntur tantum numerari 20. gradus, ut & in reliquis. Hoc autem tantum verum eſt de una ſcala, ſeu recta linea cognationis; nam alias fuere multo plures. XIII. Accedit denique authoritas & conſenſus primævæ eccleſiæ, ſanctorum Patrum, ac totius Synodi Lateranenſis, de quorum conſenſu teſtantur canones *c. 2. XXXV. qu. 5. circa princ. & circ. fin.*

 12. Eſt

12. Eſt ergo omnium jurium, eccleſiæ antiquæ, ſanctorum Patrum, & Synodi Lateranenſis autoritate & conſenſu certiſſimum, veram rationem computandi eſſe, quam hactenus expedivimus, & cujus hic Schema ſubjicitur. Summa & ratio Schematis hæc eſt: Stipes (pater & mater) eſt principium cognationis: cui qui immediate connaſcuntur, ſcil. liberi proximi ſunt cognati, quia immediati; qui liberis immediate agnaſcuntur, ut nepotes ulteriore ſunt gradu, quia mediate ſtipiti connaſcuntur, adeoque ſecundo, & ita porro usque ad gradum ſeptimum, quousque tantum ſunt cognationum nomina. *L. 10. §. 7. gradib.* Ex his gradibus ordine compoſitis conſtituuntur ſcalæ per *d. l. 10. §. 10.* juxta numerum perſonarum, qua ſimilem ordine gradum tenent, inter ſe diſtinctæ, ut cujusque gradus ſeorſim poſſint numerari: ſcalæ hæ dicuntur lineæ rectæ, & in ſchemate ſunt 1. 2. 3. 4. Si jam duarum ſcalarum gradus ſimul numerantur, (quod fit, quando in altera quoque ſcala proximior requiritur, uti in hæreditatibus deferendis) ex duabus ſcalis numerati gradus invicem adduntur: e. g. ſi de hæreditate cognati D. proximiori ex alia linea ſeu ſcala cognato deferenda agitur, non tantum ſciendum, quantum D. diſtet a ſtipite, ſed & quis ex alia linea, eadem ſtipiti ſit proximior; utriusque ergo gradus numerandi, &

invi-

invicem addendi, cujus modus expeditus habetur in *d. l. 10. §. 10.* Si autem de unius tantum cognati D. propinquitate quæritur, illius tantum gradus ſunt numerandi, ut in nuptiis *de quo late th. 9. & 10.* Scalæ autem ita junctæ dicuntur linea collateralis: ut adeo omnis cognationis ratio hoc Schemate contineatur.

13.	PATER, 1.	2.	MATER. 3.	4.
I. Liberi.	A.	a.	a.	α.
II. Nepotes.	B.	b.	b.	β.
III. Pronepotes.	C.	c.	c.	γ.
IV. Abnepotes.	D.	d.	D.	δ.
V. Atnepotes.	E.	e.	e.	ε.
VI. Trinepotes.	F.	f.	f.	ζ.
VII. Poſteri.	G.	g.	g.	η.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

F I N I S.

Digitized by Google